



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi**

**Clagius, Thomas**

**Coloniae Vbiorvm, 1659**

XVIII. Sex Nonarum Quinctilium dies, & ipsum visitationis B. virg. festum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11544**

ri mortem, vel sanitatem committit. Vitam & salutem, vera vitæ Mater conferre maluit: unde puer, paucis à voto mensibus sibi planè restitutus, sedecim leucarum itinere matrem pedes comitatus, Lindam incolumis atque alacer venit. Martini in Surenbaum Seeburgensis colonix-pago hortulani uxor Anna, decem ante annos cæcitate repentinâ percussa, lumen cæli biennium integrum videre non potuit: vidit postliminio, ubi mentis aciem ad Deiparam Lindensem intendit. Inde enim lux etiam corpori affulsit; quò quidem & illa quotannis, ut grata sit, peregrina accedit. Denique & Sulanna è pago Koskow juxta Bialam oppidum in Ducatu Prussiae sito, quamvis non catholico, mulier catholica, intimo, ut ajebat, ulcere pedem ante quadriennium dirissimè affecta, adeoque omnium meru ac sententiâ pedis usum amissura erat; quando quidem remedia undique adhibita nihil profecerat, profecit tamen remedium Lindam peritum. Inde enim jam ab emissio peregrinationis voto, pes restitutus omnino est; quo etiam illa pede duodeviginti leucarum iter probè ementa est.

### C A P U T XVIII.

Sex Nonarum Quintilium dies, & Visitationis B.V.M. festum.

JAM proximo capite innuimus, Julium mensem, vel ob unum Deiparæ Elisabetham Visitantis festum, primas sibi inter menses anni apud Lindam vendicare. Cæterum quo major est, eo, sequentibusq; octo die-

diebus populi undique affluentis multitudo, eò plus est operariis Lindenſibus operæ atque laboris impendendum, & minùs relinquitur ad connotanda explorandaque beneficia divina temporis, quocirca & hîc omnia paucis attingenda.

## I.

Præcipuæ supplicantium intra hos dies  
Proceſſiones.

Quandoquidem ad VI. Non. Jul. ipſo videlicet feſto Viſitationis, nimia eſt populorum, non modò è Pruffia, verùm & ex aliis Regni Poloniæ provinciis confluentium multitudo, commodè factum eſt, ut annuæ, quæ hâc die fieri ſolebât, Proceſſiones, in poſteriores transferrentur dies. Et tamen, ne ſic quidem ſatis adhuc proſpectum eſt, ſive operariorum, ſive etiam ſupplicantium commoditatibus; cùm in unam quandoque diem plura ſupplicantium agmina concurrant; quemadmodum hoc anno ad IV. Non. Quinçtil. novena ſimul concurrerunt: quorum quaternæ civitatum, reliqua pagorum variorum erant. Ac primi quidem illâ die, quæ in Dominicam incurerat, adfuerunt Allenſteinenses, qui quanquam magnis octo leucis abſint Lindâ, nullo tamen anno publicam hanc ſupplicationem, quæ & numero & dignitate ſupplicantium, cû quavis aliarum civitatum facilè certaverit, intermittunt. Ductor ejuſ agminis hoc, præcedentibusq; annis fuit admodum R. D. Euſtachius Rauſch, Archipreſbyter Parochus, & S. Theol. Baccalaureus. Proximè conſecuti ſunt cum

See-

Seeburgenses, tum Bischburgenses, usitatâ, hoc est, insigni pietate, & frequentia: horum Ducem egit admodum R. D. Valentinus Majewsky Parochus, illorum verò admodum R. D. Joannes ab Hatten, Archipresbyter Parochus, & unâ Camenecensis Canonicus, uterque nobili apud Varmiam genere ortus. Accesserunt extra ordinem Resselientes, qui ad statas quovis anno Processiones, quintam hoc anno ob ingruentium undique belli periculorum metum adje- cerunt, duce & auctore admodum R. D. Sigismundo Forlichero Archipresbytero Parocho. Interea adfue- runt eâdem die Francknovientes duce admodum R. D. N. Matakowsky, Ramsovienses ductore admo- dum R. D. Parocho suo, Kellenses duce admodum R. P. Andrea Krajewsky, Leginenses, & Fredem- burgenses ducibus locorum pastoribus. Quibus po- stridie ad III. Non. Jul. successerunt ex Allensteinen- si agro tum Klebergenses, tum Bertingentes, Para- chis locorum ductoribus.

## II.

Gemina intra S. Ædem Lindensem curatio,  
miraculo similis.

Ipso die Visitationis B. V. intra ipsam Deipara Lindensis Ædem, geminum est beneficium ægris præstitum: quod non nisi miraculi instar ab omnibus est habitum. Anna nobilis & generosi D. Bosky uxor, perillustris ac reverendissimi D. Alberti Pilchowicz Episcopi Hipponens. & Suffraganei, Vicarii genera- lis, atque Canonici Varmiens. germana soror, filio- lam infantem jam per annum febris perpetim labo- ran-

rantem, secum adduxerat, ut ope **B** Virginis sanam reduceret. Reduxit enim vero; intra ipsam quippe **A**dem lacram ardor febrilis restinctus est, omnibus admirantibus, matre verò etiam insuper lætitiâ gestiente. Plus tamen admirationis habuit sanitas **A**ndree **B**erg eodem collata tempore ad loco, is quidem in Ducatu Prussiarum, haud procul Lindâ, intra oppidum Sehîsten natus, & in Lutheri secta à puero nutritus erat; sed à viginti quinque annis ad catholicam regressus Ecclesiam, operam suam atque obsequia illustrissimo Domino Ludovico Zielensky, Castellano Sieprensi addixerat, & in Krukowo, à sanctæ memoriæ **B**. Stanislai Kostka heredibus empto fundo rei œconomicæ præfectum agebat. Incertum, anginâ, vel potius ulcus aliquod collum hominis infederit, ac fauces undique occupârit; ut parum abfuerit, quin suffocaretur, aut etiam fame enecaretur; quippe, qui per viginti quinque hebdomadas cibum, potumvé nullum capere, nec nisi vino guttatim instillato refocillari utcunque potuerit. Non deerant remedia undique conquisita; nam & Varlaviâ & Gedano consilia juxta ac medicamenta sunt adhibita; omnia tamen incassum. Interim homini juxta Lindam nato, Lindæ, Lindeniumque beneficiorum memoria subit, & simul suo, aliorumque consilio, votum peregrinationis concipitur; pauloque post Lindam versum corripitur iter. Ubi in Sehîsten ventum, doloribus noctu, pro more ingravescentibus, clamores quoque pro eodem ægri more, totâ ingravescebant nocte, ut neque ipse, neque intra ædes quisquam vel tantillum quietis haberet. Ubi diluxit, prosequutus est iter; & cum Lindam octavâ circiter ante

inest.

meridiè horâ venisset, sacellum ingressus, Aram ma-  
 jorem supplicabundus ter obiit: mox quasi animo  
 liqueretur, captandæ auræ causâ extra sacellum se  
 proripit. Et ecce! simul ac sacello pedem extulit, ru-  
 pto, quod fauces collumque obsidebat, apostemate,  
 sonitus circum caput hominis increpuit; ut homo ca-  
 put sibi fissum ratus consternaretur, & manus, ex-  
 plorandi causâ, capiti quidem primùm, tum deinde  
 collo admovent. Interim triplici, quod crepuerat,  
 vulnere omnis è collo sanies, instar fictilis, ut ille aje-  
 bat, ollæ, cum strepitu atque imperu vehemente ex-  
 cidit in terram; eodemque momento & guttur &  
 fauces laxatæ, ut cibi potusque desiderium vehemens  
 sequeretur. Vicinum quocirca sacello fontem adit,  
 & haustâ inde aquâ sese refocillat, alligatisque fasciâ  
 vulneribus, sanus jam ad sacellum regreditur; mira-  
 culumque circa se factum, omnibus, sed maximè per-  
 illustri & adm. R. D. Ludovico Fantonio, Varmiensis  
 Canonico & Administratori Allensteinensi ac Var-  
 saviensi Custodi, coram præsentibus, magnifica cum di-  
 vine bonitatis prædicatione & gaudio enarrat.

## III.

Masoviorum quidam gratias experti.

Nobilis vir, cujus tamen nomen adnotatum non  
 est, tamen mihi quoque, multis præsentibus atque  
 audientibus rei seriem coram enarrârit, biennium  
 integrum captus oculis, nobilissimam totius corpo-  
 ris partem, quanti oporteat æstimare, non tam fru-  
 endo didicerat, quam carendo. Nobili quo-  
 circa ausu, vel potius in Deiparæ præsidio fi-  
 duciâ, aciem mentis Lindam versùs flectit,  
 & vo-

& voto peregrinationis edito, corporis quoque a-  
 ciem recipit: quâ prosperè usus, viginti propè leuca-  
 rum viam, pedes decurrit. Breuius aliquanto via sta-  
 dium, sed non minùs prolixâ in Deiparam obser-  
 vantia, ac pietate decurrerunt, tum Sophia matrona  
 propè sexagenaria, nobilis viri Domini Stanislai  
 Gromadzky, de Gromadzino vidua; tum Anna vir-  
 go, nobilis eisdem viri D. Joannis Kielczewsky filia:  
 utraque enim è Colnensis in Masovia territorii fini-  
 bus, venerat; & pedes utraque, quidquid Lindam ul-  
 que interjacer spatii, confecerat, quia utraque singu-  
 lare Divæ Lindensis beneficium experta. Sophia  
 enim, pleritque de familia, ante biennium peste sub-  
 latis, voto ad B. V. interposito reliquos omnes serva-  
 vit; ut ab ea hora, ne quidem unicus, ex ulla subdito-  
 rum domo, mortuus sit. At verò Anna per medium  
 circiter annum omnium artuum, sed præcipuè capi-  
 tis cruciatibus exercita, vel potius jam prostrata (quia  
 majorem temporis illius partem decumbere coacta)  
 simili voto, ad se viresque rediit. Neque aliud reme-  
 dium profuit Catharinæ Joannes Marcik coloni in  
 Lipkniky uxori; quæ totum corpus, sed caput in pri-  
 mis atque pedes, totum superioris anni autumnum  
 ægra, identidemque decumbere compulsâ, animi-  
 que deliquis, frequentibus æquè ac gravibus, ad ex-  
 trema jam redacta, cujusdam sacerdotis voto, ejus  
 nomine Lindam nuncupato, pristinæ reddita sanita-  
 ti, nuac pedes iter omne absolvit.

## IV.

Seeburgensium quidam variis affecti  
beneficiis.

Thomas Underkau, è Kunigkendorff Seeburgensium municipii pago hortulanus, cephalalgia pluribus annis laborans, tinnitu, ut sibi videbatur, intra tres identidem personante, graviter afficiebatur. Posteaquam, à quatuor circiter annis Lindam frequentate ex voto cepit, cepit unà melius habere; & novum semper inde experiiri allevamentum. Cujus causam frequentius Lindam adit, ut frequenter alleveretur. Non minorem ex eodem municipio allevationem expertæ, tum Dorothea Nicolai Beer ex Wolkhaim, tum Elisabetha Simonis Fischer, ex Prothen filia; illa enim malignâ tredecim hebdomadarum feбри, propè ad mortis periculum deducta, hæc vero eandem per undecim hebdomadas, minùs quidem periculosè, at non minùs graviter passa, utraque implorato Deiparæ auxilio sanata est. At verò Matthei Schipp Besoviensis coloni uxor Clara, non sibi modò, verùm & proli idipsum salutare auxilium sensit. Quaternam prolem vel omnino non vivam, vel ad lustrales Baptismi aqua tantummodo vivam proleulerat: ubi Lindensem imploravit, quasi Lucinam, geminam deinceps enixa est prolem, non modò vivam, verùm & valentem, & ab undecim jam annis, peregrinationis annuæ perpetuò comitem.

D d d

V. Gue



## V.

**Gutstadienses varia consecuti beneficia.**

Bartholomæus Knobloch è venerabilis Capituli Varmiensis pago Steinberg dicto colonus, quatuor propemodum annos, cum aliis morbis, tum maxime cruciatibus spinæ dorsii attritus, per septendecim hebdomadas, neque se strato commovere, postmodum verò neque humi, neque alibi jacendo invenire quietem potuit. Invenit denique non quietem modò, verùm & salutem, ubi sub Lindæ Marianæ umbram, edito voto, se recepit. Umbram eandem, in phrenitide sibi salutarem expertus Martinus Schepper, in ipsa civitate Gutstadiensi ab obsequiis hoc tempore versatus. Non erat quidem diuturna, sed vehemens admodum febris, quæ hominem, intra hebdomadas tres, de statione mentis dejecit. Restitutus est, ubi votum Lindæ revilendæ fecit.

## VI.

**Allensteinensium nonnulli, beneficiorum participes.**

Pridie Non. Jul. adfuerunt, tum Georgius, Andreæ coloni è Kleberg filius, tum Dorothea Georgii Bimhoff è villa Thomsdorff uxor. Et hæc quidem pedem sacro affectum igne, cum aquis merfisset, ad exulcerationem & gangrænam usque corruerat: sed restituit eundem voto Lindam edito; ut Bertingensis paræciæ, supplici jam admista agmini, totum iter pedes confecerit. At verò Georgius apostema enorme, palmos aliquot sub dextera aure prominens habuit; & inde

de non dolorem modò acerrimum, verùm & opprobria quorundam (anserinum illi collum, nescio quo factum) palàm objectantium amaro prorsum animo passus est. Accessit ad hæc, non leve vitæ periculum, cum malo ad obstruendas fauces producto, & aliquod potionis, cibi omnino nihil, per octo mimum dies admitteret. Sola desperatis in rebus ad V. Lindensem supererat spes; cui postquam se voto indicavit; qui ab ipso Domini Natali, ad Pentecosten usque miserimè habuerat, revaluit, ut vix tenus orbi vestigium, Lindam, quò pedes accessit, secum tulerit.

## VII.

## Vormditenfes quoque variè adjuſi.

Simon Tausch Vormditensis, annos per plures, sine magnis animæ corporisque periculis, Germaniam longè lateque pervagatus, cum sæpe hæreticis inter versaretur, ac, ne quid ex illa hominum lue, quoque afflaretur noxæ, vehementer pertimesceret, votum peregrinationis ad B. V. Lindensem (si animæ præsertim, sibi incolumitas constitisset, & incolumiter reverrisset in patriam) nuncupavit. Profuit homini ista in Deum Matrem pietas, non enim animam tantaxat, verùm & corpus, cum plerosque variè ante se contrucidatos non rarò vidisset, incolume servavit. Qua de causa, vix dum in patriam redux, peregrinationem non nisi pedes Lindam absolvit, iplis mensibus Quintilibus. Quâ die etiam Gregorius Philippus à Dietersdorff Vormditensis agri pago adventavit; qui tantis capitis cruciatibus ante triennium affligtus est, ut vix sui compos esse, discernere

Ddd a

sanè,

sanè, diem inter ac noctem latis non posset. Porro  
tamen non nihil sibi redditus discernere, quo loco  
malis suis quærenda essent remedia; quando Linden-  
sis Deiparæ imploratâ ope, melius habere continuo  
cæpit. Quod ipsum iteratò quoque fecit, cum febris  
admodum periculosa nec minùs diuturna, hominem  
invasit. Neglectis enim, quæ incassum aliunde qua-  
sierat, remediis, ad suam iterum Liberatricem recur-  
rit; iterumque perianatus, ut gratias ageret, totum  
iter pedes Traumburgo, unde oriundus est, decur-  
rit.

## VIII.

## Meelsaccensibus præstitum auxilium.

Andræ Everlein arcularii Meelsaccensis conjugis  
Anna, non vanum in partu meruebat periculum  
quod, ut sperabat, voto Deiparæ Lindensi edito faci-  
lè avertit; ideoque & partum solito experta levior  
est, & uberior apud Lindam gratias egit. Non mi-  
nores tamen gratias egit Ambrosius Thater è Meel-  
saccensis agri pago Hechtern dicto colonus; quippe  
majoribus ope Deiparæ malis erutus. Maleficæ cu-  
jusdam (quæ demum flammis addicta, hoc quoque  
crimen passa est) operâ, & insanis artibus, ad incertas  
reductus, plus dimidio anno quietem nullam, nisi  
decumbendo, capere poterat, tantum abest, ut agri  
culturæ, aut promovendæ rei familiari operam da-  
ret. Quod potuit unum à Deipara Lindensi contra  
fascinos, & maleficia omnia, præsidium implorare  
& non gravatè, quemadmodum Lindæ palam passus  
est, obtinuit.

IX. Bruns-

## IX.

## Brunsbergenses votorum compotes.

Ipsis Nonis Quintilibus Andreas Jeschke, civis  
Brunsbergensis, editum filii sui Andree nomine vo-  
tū, Lindæ reddidit. Ante tredecim circiter annos,  
volis ita oblitus erat filius, ut suffuso undique val-  
de oculis videretur plurimorum judicio esse jam  
tū. Verum parens acutiùs mentis aciem inten-  
s, in B. V. Lindensi advertit reconditum filio suo,  
in modò collyrium, sed & contra omnes calamita-  
alexipharmacum. Neque spe fraudatus est suã:  
oque gratias Deiparæ acturus, quindecim leuca  
iter pedes est emensus. Vnã circiter leucã minus,  
jam ab undecim continuis annis emeritur Mar-  
Lang, è Bleishe w en vicino Brunsbergæ pago  
coni uxor; quæ ante illud tempus, tum puerpera-  
m exposita periculis, tum gutturis & faucium do-  
ibus miserè affecta, in una B. V. Lindensi præsi-  
am tot malis abunde invenit.

## X.

## Hæreticis quoque non negata auxilia.

Eadem die, sed non eodem è loco, plurium anno-  
in usu confirmatam ad B. V. peregrinationem ob-  
tinent, quamvis non catholicæ mulieres, Barbara è  
eter ka im hortulani, & Dororhea Georgii Hubner,  
minore Rosenthal, agri Rastemburgensis villa, in-  
milini ac fidicinis uxor. Hæc tum suo, tum filiolæ  
Dororheæ, quam habebat peregrinationis comi-  
tam, nomine, quasi pensum quoddam annuum, Deo

ac Deiparæ persolvit. Mater enim veneno per malefici-  
 ficium propinato contabescebat, ut nulla vitæ spes  
 reliqua esset; filia verò variolis faciem totam, non  
 tam opplentibus, quàm crustæ instar obtegentibus,  
 non levi in periculo versabatur; utrumque feliciter  
 depulsum est; non alio, quàm voti Lindam facti præ-  
 sidio; quid restauratâ quotannis peregrinatione cura  
 imploratur, tum confirmatur. Jam verò Barbara, fi-  
 liam quoque viæ peregrinationisque comitem ad-  
 duxit: præsertim cum & filia (quemadmodum plures  
 ante annos mater) vehementibus capitis doloribus  
 vexata, requiem & levamentum Deiparæ ope inve-  
 nerit. Quod ipsum quodammodo in se experta alia  
 è Ducatu mulier non catholica, Joannis Furlacientis  
 Tauk Rheinensis castri pago uxor Anna. Duodecim  
 enim hebdomadas febrem passa, voto Lindam facta  
 liberata; cum vorum sive negligentâ suâ, sive variis  
 intercurrentibus obstaculis differret, febrî hoc ite-  
 rum anno recurrente, Lindam novè iterum voto re-  
 currit; exindeque sanè, non ampliùs procrastinan-  
 dum aut cum Divis ludendum rata, quantocytus Lin-  
 dam iter instituit.

### C A P U T XIX.

Octo Iduum Juliarum dies.

**N**onas Julias, quæ etiam *None Caprotine* dictæ, ex  
 causis à Macrobio (a) Plutarcho (b) allatis, ex-  
 cipiebant apud Romanos Ludorum Apollinarium  
 dies consequentes; quibus Ludis vetus illud, quod in  
 pro-

(a) *lib. I. c. ap. II.* (b) *in Romulo.*